



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

De Vsv Legis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

quia timeas Deum, & uelis Deo prestare obedientiam. Sic in singulis mandatis & operibus oportet apprehendi Deum, & repeti primum mandatum, ut omnia opera fiant cultus Dei, & in omnibus operibus Deum intueamur, & ei seruiamus.

Repetenda est etiam in singulis doctrina de fide, quæ docet quòd propter Christum reputemur iusti gratis. Deinde uerò placeat propter ipsum inchoata obedientia. Tenebis autem has precipuas quæstiones de quolibet mandato. Prima, Quid præcipiat. Secunda, Quo fine. Tertia, An satisfiat. Quarta, Quomodo fiat & placeat obedientia.

## DE VSV LEGIS.

Postquam utcunque decalogum enarrauimus, admonendus est lector etiam de usu.

Est autem triplex usus. Primum tradendus est decalogus seu lex Dei moralis, ut disciplina rudes erudiat & coerceat. Et hic usus pertinet ad iniustos & iustos. Deus enim coerceri uult iniustos externa disciplina, & iustis rudibus opus est institutione, doctrina & diligentia coercendæ carnis, sicut pueris, adolescentibus, uulgo etc.

Secundus usus est proprius cōtritioni, argue  
re pec



re peccatum, & perterrefacere conscientiam, de quo Paulus saepe loquitur, Per legem cognitio peccati. Itē, Lex irā efficit. Si enim nulla esset lex seu nulla obligatio, quomodo id quod fit contra uoluntatem Dei, esset peccatum? Terrentur ergo lege omnes qui nondum consecuti sunt remissionem peccatorum.

Tertius usus est in his, qui sunt iustificati. Et si enim sunt liberati à lege ne damnet, tamen ijs opus est doctrina legis tripliciter. Primo quod ad doctrinam attinet. Secundo quod attinet ad uetustatem carnis. Tertio quod ad obedientiam attinet. Primo de doctrina constat etiam iustis opus esse uerbo, ut sciant qui cultus, qualia opera placeant Deo, ne excogitent novos cultus sine uerbo, ut Monachus. Ideo Paulus ad Timoth. inquit, Omnis scriptura utilis est. Secundo de uetustate carnis. Necessse est uetustatem coherceri & argui, quia lex semper arguit præsens peccatum. Sed ita sumus liberi, non quod lex non arguat, sed si uincamus fide legem arguentem, idq; testatur oratio dominica. Non essent debita nisi lex obligaret & argueret. Quanquam ita liberabimur cum credimus etc.

Tertia de obedientia. Et si sumus liberi à lege ne damnet, tamen manet ordinatio & uoluntas Dei,



**D**ei, ut creatura obediat. Quare obedientia ne-  
 cessaria est, & quomodo placeat docet **E**uange-  
 lium. **I**deo inquit **C**hristus, **N**on ueni soluere le-  
 gem, sed implere. **I**tem **C**hristus inquit, **H**oc est  
 mandatum meum ut diligatis inuicem, & 2. **I**oan-  
 nis 3. **H**oc est mandatum eius ut credamus in no-  
 mine filij eius **I**esu **C**hristi, et diligamus inuicem.  
**H**ae sententiae loquuntur de uoluntaria obedien-  
 tia, & tamen nominant mandatum. **Q**uia manet  
 ordinatio **D**ei, ut creatura obediat, etiam cum  
 uolens obtemperat. **E**t tamen **E**uangelium  
 interea docet, quatenus liberi si-  
 mus, scilicet, ne damnet lex,  
 non ut non  
 fiat.

**D**e **E**uan-